Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2069
Quelle:
Copyright:

tes, adtextus eſt, quem *Edita* ignorant, et ſub illo: *Explicit liber ſiue tractatus de periculis.*

DXLVI.

166 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 365. f. per duas columnas calamo currente ſcriptus ſequentia complectitur. I. *Richardi Fitzralph*, ſeu *Fitzrauf*, id eſt *Radulphi filii*, Archiepiſcopi *Armachani* et Primatis *Hiberniae Avenione*, quo à FF. Mendicantibus citatus fuerat, a. 1360. demortui *Libros XIX. de Erroribus Armenorum*, ſeu, ut ipſe in *Praef.* appellari voluit, *de Quaeſtionibus Armenorum.* Praefatio haec nobis ſine titulo incipit: *Reuerendis in chriſto Patribus Nerſy archiepiſcopo manasgerdenſi, ac fratri iohanni electo Clacenſi maioris armenie Richardus radulphi archiepiſcopus Ardmachanus primas hybernie per gratiam ſitire iuſtitiam* &c. Narratur porro eos veritatis inquirendae ſtudio *Romam* delatos frequenter cum *Richardo* contuliſſe, et tandem oraſſe, ut reſponſa ſua ſcripto conſignaret. Conſignavit vero in modum *Dialogi*, Johanne quaeſtiones proponente, ſe vero easdem ſolvente. Praefationem excipit Conſpectus operis, tum L. I. C. 1. ſic orditur: *Johannes. Quia ex literali ſenſu ſcripture ſacre intendis in hoc opere tractare* &c. In fine L. XIX. et ultimi adnexus eſt *Index Capp.* omnium Librorum, qui non habetur in editione Operis hujus *Pariſiis* per *Job. Petit* curante *Johanne Sudoris* 1511. f. aeque mendoſa, ut eſt *Codex* noſter. Ceterum *Quaeſtionum* harum mentionem nec in *Clem. Galani Conciliatione Eccl. Armenae cum Romana*, *Romae* 1650. f. invenio, nec in *Job. Sim. Aſſemani Biblioth. Orient. Clem. Vatic. ibid.* 1719. f. qui tamen loci *Manangerd* T. II. p. 299. et 378. meminit.

II. *fol.* 211. *Johannis Pariſienſis* O. P. qui in Mſs. modo *Qui dort*, modo *Surdus* vel *de Soardis* cognominatur, a *Quetifo* autem in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 500. ab alio *Johanne Pungente aſinum* ſive *Poin-l'aſne* itidem *Pariſienſi* diſtinguitur, obiitque *Burdigalae* in Romana Curia, quo ob abſonam ſuam de modo exiſtentiae Chriſti in Eucharistia ſententiam evocatus fuerat, anno 1304. *Determinatio* quaeſtionis, utrum Parochiani Mendicantibus rite de peccatis confeſſi, eadem Curatis ſuis repetere teneantur. Incipit ſine titulo: *Anno domini 1304. queſitum fuit vtrum conſtitutio domini pape de confeſſionibus audiendis* &c. Finit: *cum non teneatur confiteri niſi proprio ſacerdoti id eſt habenti poteſtatem.* Clauſula: *Explicit queſtio diſputata pariſius per fratrem Jo. pariſienſem doctorem predicatorum. Quetifus l. cit.* hanc Determinationem commemorans ſubdit: *Quem Tractatum prelo edi eſſet in votis.* Notae vero